



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt XCIII. S. Benedicti monasterium in vrbe Vallisoletana, in regno  
Castellae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

monasterium accessit Congregationi Cassinensi.

S. Laurentij Auerfanum, anno 1514.

S. Mariæ de Gratijs, in diœcesi Placentina, anno 1515.

SS. benedicti & Scholasticæ monasterium Sublacense, siue de Sublaco, anno 1516.

S. Honorati monasterium Lerinense, in regni Galliæ prouincia, anno eodem:

S. Simpliciani Mediolanense, anno 1517.

S. Mariæ de Ponte viuo, anno 1520.

S. Mariæ de Farfa, anno 1567.

S. Benedicti Castrouillarum, an. 1577.

S. Mariæ de Andria, anno eodem.

Monasterium S. Mariæ de Calatauixetta, quod est opidum siciliæ, haud procul à Naro opido.

### CAPVT XCIII.

*S. Benedicti monasterium in vrbe Vallisoletana, in regno Castella.*

**R**eformatę Congregationis in Hispania, quæ ab hoc monasterio *Vallisoletana* nūcupatur, primarius auctor extitit circa annū Christi 1520. *Garsias Cisnerus*, monasterij S. Mariæ in Monteferrato Abbas, in districtu Barcinonensi. Scripsit is inter alia *Exercitatorium vite Spiritualis*, in 69. capita partitum, varijsque locis sine nomine auctoris editum:

quem-

1520.

quem librum Soc. Iesu Patres in primis commendatum habent. Obijt Cisnerus circa an. Christi 1540. Ceterum monasterij huius Vallisoletani auctor exstitit *Ioannes I.* Castellæ Rex, vtpote qui veterem arcem in monasterij Benedictini formam conuertit; teste *Ioanne Mariana* in historia Hispaniæ. Obijt autem *Ioannes Rex* anno 1390.

## CAPVT XCIV.

## HVLSBERGENSE

*Monasterium, apud Hattemum Geldriæ  
opidum.*

**F**Ratrum, seu Clericorum Hieronymianorum in communi viuentium Ordo, à *Gerardo Magno Dauentriensi*, anno circiter millesimo trecentesimo septuagesimo nono institutus, illustrium virorum, & gymnastorum, in quibus & iuuentutem optimis & moribus & litteris imbuebant, copiâ apud Germanos, Belgasque ad nostram vsque atatem, mirificè floruit. Inter illustres viros fuere *Gabriel Bielius*, celebris apud *Tubingenses Theologus*, *Gerardus Sutphanus*, scriptor asceticus, *Christianus Massæus*, *Georgius Macropedius*, alijque plurimi, à *Thoma Kempensi*, & à nobis alibi commendati. Inter gymnasia fuere apud Belgas, seu Germanos inferiores,

An. 1239.